

mytholog. *Cælum et terra jam dudum ruissent, si non Maria precibus sustentasset.*

IV. Angelo custodi Tobias uterque Raphaël offerant dimidium bonorum, quæ attulerat filius, nec tamen existimabant per hoc compensari satis ejus beneficentiam: ita existimare et nos debemus beneficia angeli custodis tanta in nos esse, ut compensari a nobis nequeant. Et vero sicut Raphael adfuit Tobiae e domo exeunti iter foris agenti et ad domum redeunti; ita angelus custos adest homini in triplici statu. Primo, in matris utero existenti, sicut Raphael Tobiae ante protectionem: secundo, a nativitate usque ad mortem; nam ut in itinere Raphael Tobiam semper comitatus fuit, instruxit in rebus gerendis, confortavit in periculis, præservavit a pisece et dæmone insidiante, commendavit Domino Deo, haud dubie offerendo etiam ipsius preces Deo, sicut preces parentis ejus, sic etiam angelus custos velut pædagogus hominem comitatur, dirigit bonis consiliis, confortat in angustiis, et imprimis tempore mortis defendit ab insidiis et præservat a quam plurimis periculis, offert Deo preces. Denique, in tertio statu post peregrinationem hujus vitæ conducit animam ad cælestem patriam. Jure igitur merito cum Tobia dicimus: *Quam mercedem dabimus ei? Aut quod dignum poterit esse beneficiis ejus?* Tob. XII.

V. Magistratui et superioribus. *Ipsi enim pervigilant* (o subditi) ait apostolus ad Hebr. XIII. *quasi rationem pro animabus vestris reddituri*, q. d. non tantum vigilas et labores sed præterea periculum grave salutis suæ et reddendæ rationis pro subditis in se suscipiunt; unde minus est, quidquid eis exhibetur. Audivimus alibi quam grati fuerint Romani erga anseres illos, qui se dormientibus, vigilarunt et Gallos Capitolium occupaturos clamore suo prodiderunt. Ideo enim anseres aliquot ex decreto senatus perpetuo alebantur in Junonis templo, et quotannis anser unus in splendida lectica et veste stragula sedens per urbem circumferebatur cum solenni pompa ob memoriam beneficii illius, Plin. l. X. c. XXII. et Rosin. de antiquit. Rom. etc. Atqui superiores nostri perpetuo pro nobis vigilant, et cum quid infestum nobis advertunt, clamore suo produnt, non sine molestia sua et animæ periculo. Annon jure illis et alimenta debemus et honorem?

VI. Parentibus. Ita monet Ecclesiasticus, c. III. *Qui timet Dominum, inquit, honorat parentes, et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt. In opere et sermone et omni patientia honora patrem tuum, etc.* Ubi docet non externo tantum honore colendos esse parentes, sed obsequiis etiam

et servitiis veluti superiores, quorum commodis magis studendum sit quam propriis: sic enim et parentes servierunt aliquando liberis suis, cum eos educarent; magis enim attendunt ad filiorum commoda quam ad propria; quorum gratia non exigua subeunt pericula, uti inculcat filio suo Tobias, cap. IV. *Memor esse debes, inquit, quæ et quanta pericula passa sit (mater tua) propter te in utero suo.* Ad hæc sicut parentes liberorum suorum infantiam et infirmitates sublevant, sordes, otium, ineptias, aliasque molestias tolerant: ita ut vicissim filii sublevant et supportent parentum vultorum imbecillitatem et defectus, prout ibidem monet Ecclesiasticus: *Fili, suscipe, inquit, (Græce subleva) senectam patris tui et non contristes eum in vita illius et si defecerit sensu, veniam da, etc.* Sic faciunt ciconiæ, licet nulla ad hoc lege obstringantur: parentes enim vetulos et pene jam implumes suis pennis sublevant utrinque eis adlevantes, Basil. l. VIII. hexam. Et licet aliquando filii aliqua injuria afficiantur a parentibus, non est tamen æquum ut propter unam injuriam aboleatur jus et memoria tantorum beneficiorum.

Huc pertinet etiam patria, quam qui vel produnt vel impugnant, genimina viperarum se esse ostendunt, qui matrem propriam necant.

VII. Præceptoribus discipuli; quoniam ab illis homines primum fiunt cum bonis litteris et moribus ab iisdem efformantur; parentes dant esse liberis, magistri dant bene esse. Excelluit hac laude M. Antonius imp. qui tantum honoris magistris suis detulit, ut eos præ cæteris ad osculum admitteret, imagines eorum aureas in larrario haberet et sepulera eorum additis hostiis et floribus ornarit, Jul. Capitolin. Similiter et Nero initio quidem præceptorem suum Senecam tantis cumulavit opibus et honoribus, ut ipsemet Seneca apud Tacitum, l. XIV. annal. alloquens eum dixerit: *Tantum honorum atque opum in me cumulasti, ut nihili felicitati meæ desit, nisi moderatio ejus.* Sed vero postea mutatus imper. morte eum plexit.

VIII. Dominis; quia servi alimenta et mercedem ab iis capiunt: debent ergo eis grati esse et res dominorum suorum fideliter servare, nec non et vitam tueri. Docent hoc ipsæ bestiae, quæ suis altoribus gratæ sunt et fideles, uti imprimis canes. Equorum numero habebat unum vir quidam Colophonius (ex insula Colophone) quem ad mundinas Teon profecturus, ducebat secum una cum servo: servo qui pecuniam domini non exigam ferebat, divertit nonnihil ab itinere ut naturæ satisfaceret, quem secutus canis marsupio interim seposito sedulus incu-

bat. Recedens iterum servus marsupium obliviscitur, unaque canem illi incubantem. Cum autem ad emporium pervenissent dominus et servus re infecta cum eis deessent nummi, eadem viam, per quam venerant, remensi sunt; cumque eo venissent ubi prius famulus de recta via diverterat, eodem loco canem incubantem et præ fame vix spirantem offendunt. Qui ubi eos adesse vidit, tamquam pecunia in tuto collocata, a marsupio se removens uno eodemque tempore et custodire desit et vivere, Anton. de Balinghen, in zoopæd. Hinc utique servi et milites infideles ac rebelles ad suam ignominiam jubebantur olim in castris circumferre humeris suis canem, Maiol. tom. IV. canic. coll. l. quasi eis diceretur: *Discite vel a canibus fideles esse dominis vestris.*

IX. Servis bonis et fidelibus grati sunt etiam domini. Sic enim monet Ecclesiasticus, c. VII. *dicens: Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua; non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum: et, c. XXXIII. Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem, sic eum tracta, etc.* Ideo jussit Exod. XXI. servum, qui se alteri Hebræo vendidit, septimo anno liberum esse. Consuevit accipiter, passerem, quem brumæ tempore comprehendit et pectori suo admovit ad calorem concipiendum, mane liberum dimittere et illæsum: quodque amplius est sedulo observat, quoniam passer avolet, ne postea et ipse ad pastum evolans in eundem incidat, et incognitum forte rapiat ac devoret, Lud. Granat. l. I. cateches. c. XVII. At qui servi et ancillæ ejusmodi aves sunt, quæ labore et industria sua dominorum res fovent et conservant unde vocantur a servandis conjugibus. Viderint ergo domini ut grati sint illis et non solum non persequantur eos, sed prosequantur beneficiis, donent libertate (si sunt obstricti) vel alant eos etiam, senectute et laboribus confectos, ne audiant alioqui, quod canis ille venaticus exprobravit hero: *Juvenem amasti, senem odisti.* Bucephalo suo seni Alexander M. stabilem annonam decrevit fructuosæ juventutis gratia. Audi rem magis miram. Aneas Sylvius, l. IV. comm. in res gestas Alphonsi: « Silesiæ dux, ait, testamentum dum conderet domum ædificari mandavit, in qua canes qui utiles venationi fuissent ob senectam et corporis debilitatem a suis relictis dominis usque ad mortem alerentur, designatis in eam rem nonnullis agris. Nec voluntas irrita fuit. » Docuit autem eo facto senes et dæcepitos esse alendos, ne ætate et annis gravati post multos exantlatos labores penuria et fame perire cogantur.

Eodem pertinet quod Sabbos Castihoneus, in libello cui titulum *Ricordi* fecit, ait, olim in Brutis statutum ut is qui vellet agere contra ingratos, teneretur sonare campanulam ad hanc rem destinatam. Hoc signo dato mox conveniebant quidam senatores: si cognita causa, si reperiebant actorem habuisse justas causas accusandi aliquem ob ingrati animi vitium, mox injungebant reo sub gravi multa compensationem aliquam. Accidit ut cujusdam equus propter ætatem et diuturnum laborem oculis orbatus, strigosus, et prorsus inutilis fuerit factus. Ob eam causam expulerat eum herus domo, ideo umbram quærens in locis opacis, ingressus est sacellum, in quo erat illa campana, cujus funiculo forte annexæ erant frondes quas cum famelicus decerperet, commovit campanulam ut signum daret; mox convenerunt iudices et conspecto equo illo famelico, mandaverunt ipsius domino, ut eum ad se reciperet neque aliter tractaret ac si adhuc esset integer viribus, et ad laborem aptus. Quod si bruta animalia non abjicienda visa sunt istis post bene merita: quanto æquiore jure fovendi in senecta servi boni et fideles.

Ecce tibi novem gratitudines, quas requisivit Dominus; quæ quam laudabiles sunt, si adsint in republ. tam sunt vituperabiles, si desint.

CONCIO III.

INCITAMENTA AD GRATITUDINEM

I. Gratitude maxime conformis naturæ. — II. Nihil ea facilius. — III. Nihil ea utilius. — IV. Nihil ea pulchrius: uti nihil foedius ingratitude.

THEMA.

Non est inventus qui vediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Luc. XVII.

Veteribus proverbium erat: *Nemo bene merito bovem immolavit, præter Pyrrhiam.* Quo quidem indicabant, tantam esse hominum ingratitude, ut pauci admodum reperiantur, qui gratos se exhibeant erga benefactores, quemadmodum fecerat Pyrrhias. Is etenim ut enarrat Plut. in quaestione Græcæ, cum navis quædam piratica appulisset ad insulam Ithacensem, ubi is degebat, in qua forte fortuna senex quidam erat una cum cadis fictilibus plenis pice senem dato pretio redemit a piratis: non ob id quod eo sibi foret opus sed partim quod misertus esset senilis fortunæ, partim hominis oratione persua-

sus. Emit autem una cum sene cados illos picarios: idque auctore sene. Deinde, profectis piratis, quo Pyrrhiæ gratiam referret senex, quod non ob lucri cupiditatem, sed ob benevolentiam esse liberum fecisset, indicavit in cadis multam pecuniæ vim pici admixtam, abditam esse. Qua reperta cum Pyrrhias de repente dives esset redditus, tum magnifice laudavit senis erga se gratitudinem, tum eidem bovem immolavit, id est, magnificum opiparumque convivium instruxit, officii præmium. Invenimus etiam in hodierno evangelio aliquem, sed unum dumtaxat ejusmodi Pyrrhiam, Samaritanum illum, qui solus e decem rediit ad Christum, et dedit gloriam Deo pro accepto beneficio: unde simili elogio celebrat eum Christus, quo vetustas Pyrrhiam: *Non est inventus, qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Atque utinam non etiamnum hoc ipsum dicendum foret. Tanta enim est hoc sæculo hominum ingratitude, ut pene cum Seneca dicere oporteat: *Omne jam ingratum est genus.* At vero quid fœdus, quid homini indignius quam ingratitude? Quid pulchrius, quid amabilius gratitudine? Hanc igitur ut addiscamus et amemus virtutem, aliqua in medium afferenda sunt.

I. Quia nihil natura conformius: *Omnis enim affectus naturaliter ad causam suam convertitur: juxta modum sibi convenientem*, ut ait D. Tho. II. II. q. CVI. a. III. Benefactor autem, qua talis, est causa beneficiati. Debet ergo et homo converti ad benefactorem suum, per intellectum et voluntatem suam (hic enim modus est ipsi convenientis). Sic videmus flumina eo reverti, unde exierunt: terrea corpora in terram converti, juxta id Domini: *Terra es et in terram ibis.* Jure igitur Dominus hominibus exprobat: *Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo.* Ipsa enim natura reditum et conversionem hanc ad benefactorem ab illis exigebat. Quod ut magis pateat, afferemus exempla omnis generis bestiarum, quibus ab ipsa natura insitam esse gratitudinem manifeste ostenditur. Primum sit de natalibus. Narrat Leonides Byzantius vidisse se in urbis, quæ Pleroselenum dicitur, portu, habitantem delphinum, quæ de manu aniculæ cujusdam ejusque viri educari solitus erat simul eum puerulo eorum filio, cujus idem nomen etiam delphino tamquam collactaneo imposuerant. Ex qua communi educatione delphinus atque puer mutuam inter se amorem, eumque vehementissimum conciliarunt, ita ut a puero compellatus delphis licet in medio esset mari cum suis gregalibus ludens, aut cursus veloci-

tate cum navi aliqua contendens, a multa fame pressus venaretur, ad puerum tamen tanta celeritate redibat, vehementi impetu more navis plenissimis velis impulsæ ferretur. Qui cum paulo ætate processisset, nutritiis suis gratiam educationis sic persolvit, ut de præda quam venatus esset, parte sibi ad pastum reservata, reliquum ad eos deferret: quod ubi ab iis animadversum est, hoc ceu vectigal lubentes expectabant atque admittebant, refert Ælian. I. II. c. VI. Alterum sit ex volatilibus. Accipiter solet brumæ tempore, cum noctes sunt longiores et frigidiores, passerem comprehendere vivum, quem sibi unguibus applicat ut ejus calore foveatur et concalescat: ubi tamen mane soluto somno evigilavit accipiter, quamquam fame pressus (tum ob noctis longitudinem, tum ob ventriculi calorem) prædæ tamen, quam unguibus tenet, pareit, passeremque pristinae dimittit libertati, et quod permirum est, attente observat, quoniam ipse volatu tendat, ne eandem forte plagam versus avolans et ipse in eum incidat, atque non agnatum cogente fame rapiat. Refert Ludovicus Granat. I. I. catech. cap. XVII. Addamus et de quadrupedibus unum aut alterum. Notissimum imprimis illud de leone, cui Androdus quidam servus dominum fugiens in Africæ solitudine, spinam e pede extraxerat: et ab eodem in compensationem beneficii, prædæ venatione triennio in spelunca sustentatus erat. Qui tandem comprehensus, et ad herum reductus, cum ab eo ad bestias damnatus esset, leo ille servi quondam hospes, forte interim comprehensus et Romam adductus in theatrum immissus est ut discerneret servum. At leo contubernalet et chirurgum suum agnoscens, suaviter ei blanditus est, atque ad ejus pedes se abiecit, cavens summopere ne ei noceret, cui incolumitatem suam deberet. Androdus igitur et ipse hospitem et nutritorem suum agnoscens, eum tamquam peregre venientem amplexatus est. Verum cum ista arte magica fieri existimarentur, immissa est in Androdum pardalis, quæ cum invadere illum conaretur, leo idem servatorem suum ab hujus laniatu servavit illamque laceravit. Rem itaque cum Cæsari narrasset, ut erat, Androdus: cunctis petentibus demissus et pœna solutus, leoque ei suffragiis populi donatus, quocum ille postea tabernas obiens multa donabatur pecunia, floribus spargebatur leo, omnesque fere obvii dicere audiebantur: *Hic est leo hospes hominis: hic est homo, medicus leonis.* Hoc se vidisse scribit Appion Polyhistor. apud Gellium Noctium, art. I. V. c. XIV. Narrat idem se vidisse in amphitheatro Seneca, lib. II. de benef.

cap. XIX. *Leonem, inquit, in amphitheatro spectavimus, qui unum e bestiariis, cum quondam ejus fuisset magister, protexit ab impetu bestiarum.* Eum autem fuisse leonem illum Androdi docet Lipsius ad eum locum Senecæ. Refert etiam historia Lausiaca Palladii, c. XX. hyænam cujus catulo cæco visum restituerat S. Macarius Alexandrinus, grati animi causa viro sancto pellem ovinam attulisse pro mercede. Quam pellem asserebat Melania sese accepisse ab eodem Macario, quæ et appellata est *munus hyænæ.* Simile est quod recenset B. Petrus Damian. card. lib. VI. epistolarum, ep. V. «Sicut fraterna, inquit, mihi constat relatione vulgatum Veneti quidam institores marina discrimina remigii labore sulcabant: cumque applicuissent, formidolosum stupendumque conspiciunt non procul ab ipsa littoræ crepidinis arena portentum, leonem scilicet, ut videbatur, draconis spiris obeuntibus involutum: cumque illinc draco caput ad speluncam suam violenter attraheret, hinc miserabilis leo, quibus valebat nisibus reluctaret, tandem quo loco cœpit desperata reluctatione deficere, tanto magis draco inextricabilibus eum modis innectens, animabatur victoriam obtinere. Sed Pandodoce, qui repente huic spectaculo supervenerant miserantes infelicem leonis vicem, audent arma corripunt, draconem perimunt, leonem de faucibus mortis ereptum abire permittunt. Sed leo, ut ita dicam, nobilissimus bestiarum, gratus vitæ suæ auctoribus extitit, et per aliquos dies, quibus illic remorati sunt, unam illic quotidie pellem capti a se animalis advexit. Quid ergo mirum, si sancti homines et divinis legibus eruditi percepto charitatis officio grata vice respondeant, cum idipsum et brutum animal videatur implevisse?» Plura alibi: hæc enim sola cui non sufficiant ad amplectendam gratitudinem? «Quis enim, inquit Ambr. I. VI. hexam. c. IV. non erubescat, gratiam bene de se merentibus non referre, cum videat etiam bestias refugere crimen ingrati?» Audi Deum per Isaiam, c. I. hac de re exclamantem: *Audite celi et auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est: Filios enutrivit et exaltavit: ipsi autem spreverunt me; cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit.* Quid sibi vult illa cæli et terræ invocatio? Nimirum tantum est in homine vitium ingritudinis, ut res etiam sensu carentes in ejus detestationem invocandæ viderentur; quod nimirum in hac re bestia confunderent homines. Quid enim stolidius bove? Et quid stupidius asino; at illæ cognoscunt domi-

nos suos, id est, blandos se et gratos exhibent propabulo, arando, triturando, onera ejus vehendo, obediendo, etc. Quod tamen pauci homines faciunt Deo et benefactoribus suis. Dedit itaque nobis Deus, hujus virtutis doctores bestias, ut vel ab illis disceremus: quæ cum jam a mundi exordio nobis hanc lectionem tradant, annon mirum est reperiri adhuc homines, qui ingrati sint Deo suo, parentibus suis, præceptoribus et magistratibus suis, dominis suis?

II. Quia nihil facilius. Si quis enim beneficiis beneficia nequit compensare, faciat id voce, faciat vel corde: laudet benefactorem, agnoscat beneficium, meminerit beneficii. Unde S. August. ep. V. ad Marcellin. ait: *Quid melius animo geramus et ore promamus et calamo explanemus, quam Deo gratias? Hoc non dici brevius, nec audire lætius; nec intelligi gravius, nec agi fructuosius potest.* Quæ res patet exemplo. Cum enim quidam S. Antonio archiepiscopo Florentino donasset fiscellam pomis refertam, spe majoris remunerationis, suscepit blande archiepiscopus, sed *Deo gratias* solum dicens, nihil aliud rependit. Abiens ergo qui donaverat, archiepiscopo detrahere et ingratitude ejus proclamare cœpit. Accersitum eum jubet episcopus, schedam cui inscriptum erat: *Deo gratias*, ponere in trutinam ex una parte et in alteram lancem poni fiscellam cum pomis. Mirum, schedula illa ponderosior fuit et in imum delata est, fiscella in sublime rapta, Vinc. Magnard. in vita ejus, apud Sur. tom. III.

Primo, itaque agnosce beneficium et magno affectu suscipe. Unde Seneca, lib. II. de benef. c. XXXV. ait: *Vis reddere beneficium? Benigne accipe, retulisti gratiam.*

Secundo, lauda cum potes et deprædica beneficium: quid hoc grave tibi? Vel pro eo preces funde.

Tertio, gratiam eam refer, pro loci et temporis exigentia, reverentiam, honorem, obsequium, consilium, opem etiam et subsidia, si indigeat.

III. Quia nihil utilius: nam primo, favorem hominum parat. Unde Antalcidas rogatus, quid agendum sit ad hominum favorem acquirendum, respondit: *Si gratus fueris, si ipsi grata loquaris, si grata ipsi præstiteris.* Ratio est quia gratus tam servit benefactori, quam benefactor ipsi. Quid enim majus apud amicum deponere pretiosum aliquid: an fideliter servare depositum? Utique hoc majus quia difficilius. At liberalis collatum beneficium deponit apud beneficiatum: hic autem si vere gratus sit, committit illud perenni memoriæ, idque celebrat, deprædicat, et cum potest, compensat ac refundit.

Secundo, quia gratus obligat sibi benefactorem, vel excitat saltem ad novum beneficium. Unde Eccles. I. dicitur: *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Quo alludens S. Chrysost. hom. VIII. in epist. ad Colos. « Deus, inquit, exigit a nobis gratitudinem, non quod nostra celebratione opus habeat, sed ut quidquid est lucri, iterum ad nos redeat, et dignos nos faciamus majoribus subsidiis. » Ita legimus Josephum accepisse pretium frumenti a fratribus oblatum, sed illud iterum clam in saccos eorum reposuisse, quia cum esset ditissimus, eo non egebat, Gen. XLII.

IV. Quia nihil ea pulchrius, uti nihil ingratitude foedius, in quam necessario incidet, qui non fuerit gratus. Quid enim primo iniquius, quam destruere eum, cui inniteris? Fontem unde bibis? Unde hedera, ingratitude typus fuit veteribus, quod muros et sepulcra destruat, quibus nititur, Pier. in hierogl. l. LI. Sic enim ingrati aliqui eo deveniunt ut vivis et defunctis benefactoribus mala pro bonis reddant: quæ iniquitas tanta est, ut propterea aperuerit Deus os asinæ ad redarguendum Balaam, qui pro servitio asinæ verbera ei infligebat, Num. XXII. *Quid feci tibi?* inquit. *Cur percutis me? Ecce jam tertio? Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consuevisti usque in præsentem diem? Dic quid simile unquam fecerim tibi?*

Deinde, ingratitude mœrore quodam afficit benefactorem, propter jacturam male collocati beneficii. Unde exoptulat Deus ipse cum talibus, Isa. I. *Filios enutrivit et exaltavit: ipsi autem spreverunt me: et in hodierno evangelio: Nonne decem mandati sunt, et novem ubi sunt?* Bene utique noverat Dominus, ubi essent. Sed interrogat in detestationem ingratitude. Sic olim Deus Adam: *Adam ubi es?* Neque hoc tantum sed indignari etiam facit alios. Exemplum refert Seneca, l. IV. de benefic. c. XXXVII. Etenim miles quidam Philippo Macedonum regi percarus ac strenuus, sed avarissimus, naufragio ejectus est in agrum cujusdam Macedonis; a quo gratis et humanissime susceptus est homo, alioqui ignotus, miser, peregrinus. Nam Macedo in villam suam eum transtulit, lectulo suo cecidit, affectum semianimemque recreavit, diebus triginta impensa sua curavit, refecit, viatico instruxit, subinde dicentem: *Gratiam tibi referam; videre mihi tantum imperatorem meum contingat.* Cum ergo discessit, narravit Philippo naufragium, auxilium tacuit, et protinus petit prædium hospitis sui; illius inquam ipsius, a quo tam benigne habitus erat: nec petiit solum sed impetravit. Tulit injuriam tacitus vir, sed

Philippo per epistolam suggessit, se eum esse qui naufragum illum militem hospitio accepisset. Quo intellecto ira exarsit rex et statim Pausaniæ mandavit, ut bona priori domino restitueret, cæterum improbissimi militis dorso stigma, hoc inscriberet: *Hic ingratus hospes est.*

Tertio, quia ingratus viri liberalis manus claudit et sibi et aliis. Cogitat enim vir beneficus: Quando ita res habet, ut meis beneficiis non nisi hostes et ingratos mihi parem, super-sedebo in posterum his officiis. Unde Ps. XXXIV. ait Dominus: *Retribuere mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ, q. d. ingratitude sua fecerunt me sterilem, qui alioquin erga ipsos eram liberalissimus, et cum fœnore reddebam illis centuplum. Est enim ingratitude: Quasi ventus exsiccans, inquit S. Bern. serm. LI. in Cant. et urens fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluentia gratiæ. Nec mirum; nam per ingratitude nem gloria Dei, et bonitatis ac misericordiæ ejus, non solum non promovetur, sed etiam obscatur, non aliter ac sol, postquam e terra vapores sursum traxit et a quibus tamen lumen ejus potius impeditur. Unde Platonem dixisse ferunt, quatuor esse difficilia, quintum omnino impossibile. Primum, servire superbo: secundum, petere ab avaro: tertium, negotiari cum mendace: quartum, tractare cum ignorante: quintum (omnino impossibile), benefacere ingrato.*

Quarto, quia ingratitude Deum tandem usque eo movet, ut ingratos omnino abiciat uti fecit Hebræis, quos ob ingratitude nem prorsus abiecit, quia post tot beneficia non retribuere nisi sterilitatem, ut ex Psalm. XXXIV. audivimus; imo mala pro bonis: *Retribuere mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ.* In quem locum S. August. ait: « Ego attuli fœcunditatem, ipsi retribuere sterilitatem; ego vitam, ipsi mortem; ego honorem, ipsi contumelias; ego medicinam, ipsi vulnera, et in his omnibus quæ retribuere, utique steriles erant. Hanc sterilitatem in arbore maledixit, ubi fructum cum quaereret, non invenit, etc. » Huc etiam pertinet parabola de vinea, Matth. XXI. et Isa. V. tot sumptibus extructa, quæ tamen pro uvibus fecit labruscas. Propterea subdidit Dominus: *Et nunc ostendam vobis, quod ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem ejus, et erit in direptionem: diruam maceriam ejus et erit in conculcationem. Et ponam eam desertam: non putabitur, et non fodietur, et ascendent super eam vepres et spinæ: et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.* Vult dicere Isaias in persona Dei: Nudabo populum meum lege et protectione mea: non reseabo,

nec compescam luxuriantem ejus malitiam: nec cor ejus tangam compunctione neque excolam, sed sinam vepribus et spinis peccatorum oppleri ac suffocari: vetabo doctoribus meis ne rigent eum imbre doctrinæ salutaris. Ergo aufert Deus beneficia et præsidia sua ab indignis, ut per supplicia Deum cognoscant, qui per beneficia cognoscere noluerunt. Quod si nec hoc pacto respiscant, tandem prorsus abiciuntur quasi alieni; quemadmodum populus Judaicus ob suam ingratitude nem a Deo reprobatus, uti eis vaticinatus est per Oseam et nomen filii ejus; quem ideo appellari præcipit: *O ammi, hoc est, non populus meus, Ose. I. Rationem subnit: Quia vos non populus meus, et ego non ero vester.* Contra quia gentilis populus, qui longissime a Deo aberat, cœpit tandem divina in se agnoscere beneficia et apostolorum ad fidem invitantium voces exaudire, in electum Dei populum subrogatur; juxta id: *Vocabo non plebem meam, plebem meam: et non dilectam dilectam, Rom. IX. et illud: Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, I. Pet. II. Videmus ergo ut ingratitude suos cultores e Dei servorum albo expungat, gratitudo in eum conscribat.*

CONCIO IV.

LEPRA PECCATI QUAM POLLUAT UNIVERSUM.

I. Polluit cœlum. — II. Polluit paradisum. — III. Polluit Ecclesiam. — IV. Polluit rempublicam. — V. Polluit genus humanum. — VI. Polluit terram. — VII. Polluit infernum.

THEMA.

Occurrerunt ei decem viri leprosi. Luc. XVII.

Quæsit aliquando S. Ludovicus Francorum rex ex Senescaleo Campaniæ, malletne lepra infici, an peccato? Respondit is: *Peccato.* At Ludovicus acriter eum objurgans: *Toto, inquit, cœlo erras. Ecquæ enim lepra peccato foedior, quod etiam post mortem affligit? Tu itaque, si me amas, eam mente muta, Joan. in ejus vita, c. XCIV. Quid nobis, auditores, videtur de hoc regis dicto? Ego sane sapientissimum existimo, idque facile et pluribus ostendi posset. Verum sufficiat in præsentis ore quod lepra corpus tantum inficiat, peccatum vero animam; deinde lepra microcosmum seu hominem polluit: peccatum vero macrocosmum seu universum. Vult in hoc videre? Advertite.*

I. Peccatum polluit cœlum. Excitavit enim in cœlo prælium inter angelos bonos et malos,

adeoque perturbavit ibidem suavissimam angelorum harmoniam, imo infernum evocavit, et induxit in cœlum, eique potestatem dedit, veluti carnifici, detrahendi inde in tartarum reprobos angelos: Hos enim *rudentibus inferni*, id est, catenis tartareis robustissimis, detractos esse in tartarum cruciandos scribit S. Petrus, epist. II. c. II. Peccatum ergo cœlum prodidit inferno, ac diripiendum dedit, adeoque cœlum quasi in infernum, angelos in demones mutavit: et hos e subtilissimis spiritibus adeo graves et ponderosos reddidit, ut deorsum ruendo cœlos perumperent, imo et solidam ipsam terram, tartarique ima peterent. Quo ex casu perturbatus fuit ordo cœlestium spirituum, et plurimæ in cœlo sedes vacuæ relictæ, velut si ex organo absolutissimo media pars fistularum exterminetur, ex quo concertus ejus et harmonia plurimum immutatur necesse est. Ad hæc quia cœlum peccatis angelorum et hominum quodammodo pollutum fuit, Deus illud clausit, quomodo templum pollutum clauditur, donec reconcilietur ab episcopo; clausit inquam hominibus donec Christus pontifex noster id expiaret suo sanguine, et nobis reseraret. In cujus rei figuram summus olim pontifex sanguine victimarum expiare jubebatur ipsum Sanctum sanctorum, Levit. XVI. Significat enim id cœlum ipsum peccatis contaminatum, a Christo expiandum fuisse, ut docet ibi Radulphus.

II. Polluit paradisum, quem ex horto voluptatis fecit desertum, adeoque execrabilem, ut hominibus inde pulsus Deus illum deseruerit vel castrum vastatum, hominibusque interdixerit, denique per diluvium omnino dissipavit, ut plerique censent, et satis indicat Moyses, Gen. VII. cum ait, aquas diluvii prevaluisse nimis (ut videlicet omnes domos et urbes everterent, omnes agros et hortos vastarent, omnes arbores eradicarent, omnia sata et germina solo sternere) et operuisse omnes montes excelsos sub universo cœlo, totamque terram anno integro occupasse. Quibus accedit, quod nusquam inveni jam paradisus possit, et terra circa Euphratem et Tigrim aliaque flumina e paradiso derivata, adeoque illa ubi paradisus fuisse existimatur ad Apameam Babylonæ seu Chaldææ undique cognita et habitata sit. Hujus autem stragis et indieti paradisi unica causa peccatum est. Erat paradisus locus deliciarum omnium amenissimus, temperatissimus, redundantissimus omnis generis frugum: « Erant ibi, ait S. Basilius, l. de paradiso, omnia avicularum genera, quæ pulchritudine colorum et naturali musica ac dulcedine concertus incredibiliter